


1536 - 38 - 43 - 45

Bullæ Pauli III. circa Generale Concilium -

Juris Analecta In Tit. Decretalium de Verborum significatione Joannis Quintini Hedui -

Francisci Duareni in Titulum Digestorum de Pactis -

De Ratione docendi, discendique Juris eiusdem -



Sebbene manchino le note tipografiche, tuttavia e per la somiglianza dei tipi e per l'anno, queste Bolle sembrano uscite dai torchi de Blado.


S.D.N.D. PAVLI
DIVINA PROVIDENTIA. PP. III.

Bulla.

INDICTIONIS SACROSANCTI
GENERALIS CONCILII.



Roma 1544.



S. Andrea della Valle.

PAVLVS EPI SCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI, AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

AD dominici gregis curam, & regimen diuina dispo-nente prouidentia assumpti, nihil magis ex animo deside-rauimus, & ab omnipotenti Deo cõtinue precati sumus, quã vt Ecclesiam suam nobis commissam, tot hæresum, & erro-rum vepribus iampridem in ea subortis, Spiritus sancti operante gratia, nostroq; studio aliquando repurgatam, eiusq; moribus in melius reformatis, debito nitori, & syn-ceritati restitutam, in sanctitate, & iustitia gratum domi-no obsequium præstare videamur. Sed & illa nihilominus cura nos angit, cum consideramus, atq; adeo oculis ipsis cernimus, Christianam Rempublicam intestinis fidelium odiis bellisq;, & infidelium vi, ac dolo afflictam in dies ma-gis dissipari, atq; diminui. Quibus malis opportuna re-media adhibere pro pastorali cura summopere cupientes, cum multis variisq; viis per nos diligenter examinatis, nul-lam aliam iudicauerimus meliorem, aut promptiorem ea quam maiores nostri sanctissimi viri, adeoq; vniuersalis ip-sa Ecclesia in huiusmodi casibus experta est saluberrimam, generalis videlicet Concilii celebrationem, idcirco eorum sanctis vestigiis insistentes, sacrosanctum œcumenicum seu vniuersale Concilium, quod etiam tum quum in minori-bus essemus, a nobis maxime desideratum, ineunte statim Pontificatu nostro celebrare omnino statuimus, & de hac

nostra constanti voluntate non solum palam locuti sumus, sed & charissimos in Christo filios nostros Carolum Rom. Imperatorem, & alios Christianos Reges, & Principes per litteras, & nuntios nostros certiores fecimus, nunc aucto-re Domino indicere, & exinde in loco & tempore per nos inferius declarando celebrare, ac demum ad optatum fi-nem perducere omnino decreuimus, sperantes, & cum Dei auxilio nobis promittentes, per hoc tam sanctum & sa lutare remedium, non solum omnes hæreses & errores ex agro Domini extirpandos, & Christiani populi mores cor-rigendos, sed & vniuersalem inter fideles pacem compo-nendam, & facta sub vexillo salutiferæ Crucis contra infi-deles generali expeditione, regna & terras nostras ab illis occupatas recuperandas, captiuosq; innumerabiles libe-randos, & infideles ipsos ad sanctam religionem nostram fauente Domino conuertendos, vt sic ab vniuerso orbe in vnum, idemq; Ouile Domini coalescente in vera fide, spe, & charitate, sobrie, & iuste, & pie viuatur, & inde ab omni-potenti Deo corona iustitiæ expectetur. Hoc igitur perpe-tuum & constans animi nostri super vniuersalis Concilii ce lebratione propositum, & sententiam ad Dei laudem, & gloriam, Ecclesiæq; suæ salutem, decus, & incrementum exequi aggredientes, in nomine sanctæ, & indiuiduæ Tri-nitatis, patris & filii & spiritus sancti, auctoritate omnipo tentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius, qua in terris fungimur, de Venerabilium fratrum nostro-rum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio & as-sensu œcumenicum seu vniuersale ac generale Concilium in ciuitate Mantuæ loco tuto, commodo, fertili, & domo-rum, ac bonarum habitationum copia prædito, anno Do-mini millesimo quingétesimo.xxx.septimo, die uigesima.iii. mensis Maii, quæ erit Feria quarta post sacratissimum fe-

ftum Pentecostes, inchoandum, &, vt sequitur, continuan dum, & auctore domino finiendum, nuntiamus, conuoca-mus, statuimus, indicimus, & ordinamus vniuersis & singu-lis, Venerabilibus fratribus nostris, Patriarchis, Archiepi scopis, Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, & cæteris Ec clesiarum & monasteriorum Prælatis vbiq; terrarum con-stitutis, in virtute præstiti iuramenti, ac sanctæ obedientiæ, & sub pœnis de iure vel consuetudine, aut alias contra eos, qui ad generale Concilium non accedunt, statutis, mandan tes, quatenus personaliter, prædictos vero, Imperatorem Reges, Principes, Duces, Marchiones, & alios, qui de iure vel consuetudine in huiusmodi Concilio interesse debent, viscera charitatis domini nostri Iesu Christi inuitantes, & exhortantes, quatenus p pace, salute, & augmẽto Ecclesię Dei & ipsi p'onalr qđ mallemus, vł si psoalr nõ pñt, p so-lẽnes Oratores suos cõgruo tpe huic sacro Cõcilio in dicta ciuitate Mantuæ, vt præfertur, celebrando debeant interes se. qui tamen si considerent, quam nobis iucunda, Christia-næ vero Reipublicæ etiam maxime necessaria futura sit eo rum in dicto Concilio personalis præsentia, non dubita-mus, quin tum alii omnes supradicti Reges, & Principes, tum Carolus Imperator, & Franciscus Francorum Rex Christianissimus sint illic personaliter interfuturi, siquidem Carolus pro sanctæ fidei nostræ zelo, & amore, tam suo quam serenissimi Ferdinandi Rom. Regis fratris sui, ac ele ctorum, cæterorumq; sacri Romani Imperii ordinum no-mine, pro vniuersalis Concilii celebratione apud felicis re-cordationis Clementem. PP. VII. prædecessorem nostrũ sæpenumero, & maximopere institit, & cum variis rerum perturbationibus, & bellis, ac aliis legitimis de causis, & præsertim prædicti Clementis superueniente obitu, tam sancti operis, & optimi animi, quem ad hoc idem præde-

cessor habebat, impeditus esset effectus, nobis ob hanc nostram promptam, vltroq; sibi, & omnibus supradictis ab initio vsq; nostri pontificatus, vt prædictum est, ac nobis significatam & oblatam super dicto Concilio per nos indicendo, & celebrando deliberationem, & proxime in prædictorum fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium generali congregatione decretam, & declaratam cõclusionem, qua decuit filiali reuerentia, eodem nomine maximas gratias egit, a Francisco vero Rege prædicto, qui etiam ad eundem Clementem, & sacrum ipsorum Cardinalium collegium plenas pietatis, ac religionis hac de re litteras scripserat, quale a Principe vere Christianissimo sperabamus, consonum, & conforme huic nostræ voluntati super huiusmodi Concilii negocio responsum accepimus. Et nihilominus eosdem, Imperatorem, Reges, Principes, & alios supradictos similiter rogamus, & hortamur, vt omni adhibita opera, & studio efficiant, vt omnes, & singulæ personæ in eorum regnis & dominiis consistentes, quæ de iure uel consuetudine generalibus Conciliis interesse debent, ad Concilium huiusmodi, cessante legitimo impedimento, de quo legitime docere teneantur, personaliter, alias per idoneos Nuntios, procuratores, vel Oratores legitima mãdata habentes, Concilio prædicto interesse, ac vsq; ad ipsius conclusionem, & absolutionem in dicta ciuitate Mantuæ morari debeant, vt sic congregata multitudine Christianorum copiosa, ea, quæ ad Dei laudem, Ecclesiæ in moribus reformationem, & exaltationem, hæresum vero omnimodam extinctionem, fideliumq; prædictorum concordiam, & salutem, ac generalem contra infideles expeditionem pertineant, in eodem Concilio Deo auctore, & adiutore, salubriter ordinentur. Insuper, vt præmissa omnia, & singula, ad quos spectat, notitiam deueniant, nullusq; de eis

ignorantiam iuste prætendere possit, aut se legitime excu-
sare, cum etiam ad personaliter intimandum præsentes lit-
teras aliquibus personis, quæ in ipsis comprehenduntur,
forsan tutus non pateat accessus, volumus, & decernimus
prædictas litteras per aliquos Curiæ nostræ Cursores, vel
Notarios publicos in Basilica Principis apostolorum de Vr
be & Ecclesia Lateranen. dum ibi multitudo populi ad di-
uina audiendum conuenire, & congregari consueuit, pu-
blice, ac alta, & intelligibili voce legi, & publicari, & Basilicæ,
ac Ecclesiæ prædictarum, necnon Cancellariæ apostolicæ
portis, siue valuis, & in acie Campi Floræ affigi, & ibidem
per aliquod temporis spatium dimitti, ac copiam ipsarum
affixam relinqui, affixionemq; sic factam, omnes, & singu-
los, ad quos spectat, cuiuscunq; gradus, & dignitatis exi-
stant, post lapsum DVORVM MENSIVM a
die affixonis, & publicationis prædictarum numerandorũ,
perinde in omnibus, & per omnia afficere, & astringere, ac
si eis præsentes, vel earum transumpta, quibus manu pu-
blicorum Notariorum factis, vel subscriptis, & sigillo alicu
ius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, fi-
dem indubiam ahiberi volumus, personaliter intimatæ
fuissent.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ
nunti ationis, conuocationis, statuti, indictionis, ordinatio
nis, mandati, inuitationis, exhortationis, rogationis, volun
tatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario cõtraire.
Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem
omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apostolorũ
eius se nouerit incursurum.

Dat. Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Do
minicæ Millesimo quingentesimo trigesimosexto, quarto
Non. Iunii, Pontificatus nostri anno secundo.

✠ Ego Paulus catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.



✠ Ego Ioannes Eps Ostieñ. Card. Seneñ subscripsi.

✠ Ego Io. Dominicus Eps Portuē. Card. Traneñ. subscripsi.

✠ Ego Bonifacius Eps Sabiñ. Card. Ipporigieñ. mãu ꝓpria subscripsi.

✠ Ego Laurentius Eps Prenestiñ. Card. Campegius mãu ꝓpria subscripsi.

✠ Antonius Presb. Card. de Sancto Seuerino manu propria subscripsi.

✠ Augustinus Card. Perusinus, S. D. N. PP. Camerarius subscripsi.

✠ Vincentius Carrafa Card. Neapol. manu propria subscripsi

✠ Andreas Card. Palmerius manu propria subscripsi.

✠ Franciscus Card. Sanctæ Crucis manu propria subscripsi

✠ Franciscus Card. Cornelius manu propria subscripsi.

✠

✠ Nicolaus Card. Capuanus manu propria subscripsi.
✠ Ego Hieronym' Car. de Ghinucciis manu ꝑpria subscripsi
✠ Iacobus Card. Simoneta manu propria subscripsi.
✠
✠ Gaspar Card. Contarenus manu propria subscripsi.
✠ Paulus sancti Eustachij Diaconus, Card. subscripsi.
✠ Alexander. s. Mariæ in via la. a Card. Cæsarinus subscripsi.
✠ Ioannes Card. de Saluiatis manu propria subscripsi.
✠ Nicolaus Card. Rodulphus subscripsi.
✠ Ego Augustinus. s. Adriani Diaconus, Card. Triuultijs manu propria subscripsi.
✠ Ego Franciscus Card. Pisanus manu propria subscripsi
✠ Ego Hercules. s. Mariæ Nouæ Diaconus, Card. manu propria subscripsi.
✠ Ego Nicolaus. s. Theodori Diaconus, Card. de Gaddis subscripsi.
✠ Hieronymus Card. Grimaldus subscripsi.
✠
✠ Alexander Card. de Farnesio Vicecancellarius subscripsi.
✠ Guido Ascanius Sfortia Card, s. Flore manu propria
✠ Martinus. s. Mariæ in Aquirio Diacon' Car. Carracciolus.

BLO S IVS

B. Motta.

Visa Io. de Fortibus.

ANno a natiuitate Domini millesimo quingentesimo trigesimo sexto, indictione nonā, die vero Dominica sacratissima penthecostes, quarta mensis Iunii, Pōtificatus sanctissimi in Christo patris, & Domini nostri, Domini Pauli, diuina prouidentia Papæ tertii anno eius secūdo. Ego Ioannes Doliatoris ipsius sanctissimi Domini nostri Papæ Cursor retroscriptas litteras Apostolicas nuntiationis, conuocationis,

statuti, indictionis, ordinationis, mandati, inuitationis, exhortationis, rogationis, voluntatis, & decreti Concilii generalis, Mantuæ iuxta formam ipsarum litterarum celebrandi, in Ecclesia sancti Ioannis Lateran. & Basilica sancti Petri de vrbe, dum ibidem missæ, & alia diuina officia celebrarentur, & populi multitudo copiosa assisteret, alta, & intelligibili voce, coram omni populo ibi astante, debite de verbo ad verbum legi. Et tam ego Ioannes, quam Petrus Serrano, & Petrus Gomez similiter sanctissimi Domini nostri Papæ Cursores, easdem litteras lectas, & publicatas ad ualuas Ecclesiæ, & Basilicæ prædictarum affiximus, & sic affixas, per spatium unius horæ & vltra in qualibet Ecclesia dimisimus, relictis in ipsis ualuis præfatarum litterarum copiis, cum originalibus per nos auscultatis, ut moris est. Eadem die ego idem Ioannes Doliatoris Cursor, & Petrus Serrano, & Petrus Gomez præfati dictas retroscriptas litteras apostolicas legimus, publicauimus & affiximus in valuis, seu portis Cancellariæ Apostolicæ, ac acie Campi floræ hora vesperorum, & similiter per spatium vnius horæ, & vltra, in quolibet ex ipsis locis affixas dimisimus, dimissis similiter in valuis dictæ Cancellariæ apostolicæ & acie Campi Floræ copiis cum originalibus collationatis similiter, vt moris est.

Ita est, Io. Doliatoris Curs.

Ita est, Petrus Serrano Curs.

Ita est, Petrus Gomez Curs.

Ita est, Thomas Roger magister Cursorum.

PAVLVS Episcopus Seruus seruiorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Decet Romanum Pontificem pro pastorali suo officio, non solum iam orta in grege ouium sibi commissarum scandala auferre & ne oriantur procurare. Verum etiam, quantum cum Deo potest, earum commodis prouidere. Superiore itaque Anno desiderantes his malis & cala-

mitatibus quibus Christiana multipliciter laborat ecclesia pro officio nostro succurrere vestigiis maiorum nostrorum, qui salutare remedium in similibus casibus vniuersalis Concilii celebratione experti fuerant, inhærendo. De venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinaliũ consilio, & assensu Aecomunicum seu vniuersale Concilium in ciuitate Mantuæ præsenti Anno Die vigesimatertia mẽsis maii proxime futuri incohandum indiximus. Vniuersis & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, & cæteris ecclesiarum, & monasteriorum prælatis vbiq; terrarum constitutis Mandan. quatenus personaliter, Christianos vero principes, & alios qui de iure aut consuetudine in huiusmodi concilio interesse debent, exhortantes vti pro pace salute & augmento ecclesiæ Dei, & ipsi personaliter (si possent) sin minus per solennes Oratores suos congruo tempore dicto sacro Concilio in ciuitate Mantuæ, vt prefertur, celebrando deberent interesse, prout in aliis nostris litteris, quas tum Romæ in locis solitis, tum per litteras, & nuncios nostros ad hoc destinatos in omnibus Christianitatis partibus, publicari fecimus, plenius continetur. Cum autem nuper dicti Concilii incohãdi tempore appropinquante, Dilectum filium nobilem virum Federicum Ducem Mantuæ, quem promptissimum in hoc futurum sperabamus, vt ciuitatem prædictam in hospitiis, Victualiis, & aliis rebus necessariis pararet, & disponeret requisissemus. Ipse Dux nobis super hoc respondens non paruam huic negocio intulit difficultatem, asserens militare præsidiũ & pro eo nutriendo stipendium pro nostra & aliorũ ad concilium venientium, suæq; ciuitatis (vt dicebat) securitate sibi necessarium esse. Quandoquidem obiectam tam sancto operi difficultatem, licet difficillimum, & fere impossibile nobis fuisset, hoc tempore, quo præter alias nostras, & Apostolicæ

sedis longe solito grauiores impensas, nunc cum perfidissimis fidei nostræ hostis vniuersum Christianum Imperium occu-pare molitur, etiã littora & vrbes status nostri ab vtroq; Ita-liæ mari defendere cogimur, pecunias alio diuertere, tamen omnino superare conati fuissemus nisi rem incongruam & mali exempli iudicauissemus armatum concilium celebrare. Eidem itaq; Duci statim rescripsimus ad tam sanctum opus peragendum nec nobis, nec alijs illuc conuenturis aliquid ti-mendum esse, minimeq; æquum fore ibi arma conspici ubi li-bera omnium suffragia esse deberent, ideoq; nihil aliud esse id petere, quod petebat, q̃; Ciuitatem prædictam manifeste denegare. Cum autem nos multis etiam alijs ratiõibus suspi-cionẽ huiusmodi ab eius animo tollere conati fuerimus idq; non semel tantum sed pluries frustra contenderimus, coacti fuimus de loci mutatione, & vt maturius id facere possimus, de concilij celebratione ad aliquod tempus proroganda co-gitare, Quod quidem tum ex eo quod rem tam salutarem, & tam Christianitati necessariam accelerare potius q̃; differ-re voluissemus, tum etiã quod verebamur (prout veremur) aliquos ex conuenturis nostræ indictionis confisos iter aggre-di cœpisse, & cum suo incommodo & nostra molestia, vel pro-gressuros vnde iam exclusi sunt, vel tanto itinere frustra su-scepto in suam patriam redituros certe molestissimum nobis fuit. Quando autem aliena nõn nostra culpa ad hoc deuen-tum est æquiore animo adferimus. Vt igitur q̃; citius eã quæ ex inopinato huius rei euentu in ipsorum conuenturorũ men-tibus forsan oriri posset perturbationẽ tollamus, ac eorum incommodis (vt fieri potest) occurramus, de præfatorũ Car-dinalium consilio, & assensu tempus celebrandi Concilij, hu-iusmodi ad kal. Nouẽbris proxime futuri prorogandum du-ximus, prout prorogamus. Alterius non minus commodi, & idonei loci electionem interim per nos faciendam. Ad eo

rum ad quos spectat noticiam quam citius fieri poterit deductu ri. Nulli ergo omnino hominū liceat hanc paginam nostræ prorogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis aūt hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romę apud .s. Pe trum anno incarnationis dñice. M. D. XXXVII. XII.kal.Maij Pontificatus nostri Anno tertio.

Blosius.

B.Motta

Quibus quidem litteris Apostolicis diligenter inspectis per notarium publicū infrascriptum ipsas exemplari mandauimus & transumi, ac in publicam formā redigi. Decernentes, & volentes vt huic transumpto publico siue exemplo plena fides deinceps adhibeatur vbilibet in locis omnibus & singu lis quibus fuerit oportunum, ipsumq; transsumptū fidem fa ciat, & illi stetur ac si originales ipsæ litteræ apparerent. Qui bus omnibus & singulis auctoritatē nostrā ordinariam interposuimus & decretum, & ad ampliorē euidentiam præmisso rum sigillum prelibati Reuereū. dñi Auditoris, quo vtimur duximus ponendū. Actum & datum Romæ in domo prelibati dñi Auditoris in qua iura reddi solent, hora vesperorū, & audientiæ causarum consueta ibidem ad iura reddendū in lo co nostro solito pro tribunali sedeū. sub anno a natiuitate dñi M.D.XXXVII. Indictiōe .X. die vero Mercurij XVI. mensis Maij Pontificatus præfati sanctissmi dñi nostri Anno ter tio pñtibus ibidē discretis viris magistris Philippo de quin tilijs, & Iacobo apocello dictæ curiæ causarum Cameræ Apo stolicæ Not. testibus ad præmissa vocatis atq; rogatis.

Et quia ego Ioannes Iacobus Bucca Cu. Cau. Cameræ Apostolicæ Not. exhibitioni, præsentationi, auscultationi, & transumptationi suprascrip. litterarum, ac omnibus & singulis

premissis presens fui, eaq; fieri uidi & audiui suprascriptum transsumpti instrumentum, alterius manu scriptum exinde publicaui in fidem premissorum omnium.

Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum multitudinem miserationum suarum iugum quod ceruicibus Christianorum perfidissimus Turcarum tyrannus imponere moliebatur, Sola virtute mirabilium suorum confregit atq; dissipauit. Vnde nos cum vniuersa Dei ecclesia meritas ipsi gratias agimus, quod tantam nobiscum misericordiam fecit. Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, in sanctitate & iustitia seruiamus illi; quodq; de vniuersali inter Christianos pace tanto studio a nobis hactenus procurata, melius iam sperare, & sacrosanctum oecumenicum Concilium quod anno proxime praeterito indiximus, tranquilliore nunc omnium animo, & frequentiore Christianorum conuentu poterimus celebrare. Sane superioribus mensibus, cum appropinquante tunc termino predictum Vniuersale concilium celebrandi, ciuitas Mantuana, quam ad id in ea celebrandum elegeramus, Nobis nihil tale expectantibus, impedita fuisset, tempus celebrationis huiusmodi ad kal. Nouembris proxime futuri, vt interim de alio loco maturius cogitare possemus, prorogauimus, hancq; prorogationem Christianis principibus & praelatis notam fecimus. Cum autem de loco predicto ad hanc rem maxime opportuno assidue cogitaremus. Interim supradictus impijssimus Turcarum Tyrannus ingentissimis si vnq; antea copiis terra mariq; comparatis veluti Christianum orbem deuoraturus, iam Italiae partem igni ferroq; deuastare coepit, magno & manifesto Vniuersae Christianae Reip. periculo, nisi repente misericors Deus nobis affuisset, qui sancti nominis sui hostes non humanis auxilijs, sed admirabili dexterae suae potentia a finibus Christianorum ita auertit, vt non discedere

sed fugere potius nullis persequentibus viderentur. Nos vero licet durante periculo supradicto, essemus pro parte nostra circa remedia contra tantam tunc imminentem calamitatem procuranda, & pacem inter Christianos Principes conciliandam, eorumq; animos contra communem fidei hostem excitandos continue intenti, nō tamen propterea destitimus etiam tunc de loco ipso celebrationi huiusmodi accommodo esse solliciti. Sed requisita non semel per litteras & Nuncios nostros Christianorum Principum opinione, si quid haberet quod super loco prædicto ad nos referendum existimaret. Vnde in certam & determinatam eius electionem deuenire possemus, cum ab eis nihil certi, aut quod inter se super hoc conuenirent acciperemus, & tempus maiore indies ecclesiæ detrimento præterflueret, nequaquam etiam hac in parte officio nostro deesse voluimus. Sed omnibus diligenter perpensis, cognoscentes nullum vsquam alium locum huic celebrationi magis idoneum q̄ in Dominio Venetorum haberi posse, Cum prædictis Venetis paterne tunc egimus, vt aliquam e suis ciuitatibus huic tam sancto operi peragendo nobis accommodarent. Qui tametsi iam tum ab initio Turcici motus (quando a nobis de hoc sunt requisiti) vicinorum periculis, deinde etiam suis ipsorum non parū impediti essent, cum præfatus Turcarum tyrannus Corcyram ipsorum ditionis Insulam vnum e præcipuis Christiani orbis propugnaculis, validissima obsidione infestaret, Tamen pro veteri sua in Deum pietate, & erga vniuersam Christianam Rempublicam amore, suam ciuitatem Vicentiæ, aeris salubritate, vbertate soli, situs, & locorum amœnitate, aliisq; ad id requisitis commoditatibus præstantem, & nemini iure suspectam ad dicti concilij celebrationem nobis benigne & liberaliter concesserunt. Verum cum impedimentis obsistentibus supradictis, vix post concessionē huiusmodi nobis significatam, tantum tēpo

ris (vt prefertur) antea prorogati superesset. Vt de hac loci accõmodatione Principes & prælatos ad huiusmodi concilium conuenturos possemus reddere certiores, nedũ ipsi intra terminum Calendarũ Nouembris antea præscriptũ ad ciuitatẽ ipsam Vincentiæ se conferre valerent, celebrationem hmõi in aliud magis opportunum tempus differre coacti sumus. Re ita q; cum venerabilibus fratribus nostris Sanctę Romanę ecclesiæ Cardinalibus mature discussa & examinata, habita etiã iam ingruentis hyemis ratione. Initium celebrationis huiusmodi Concilij ad vernũ tẽpus multo mitius & Calendas Maij proxime futuri Anno Dñi. M. D. XXXVIII. De eorundem fratrum nostrorum consilio prorogauimus prout per pñtes prorogamus. Hortantes & iuxta formam & tenorem litterarum indictionis Concilij prædicti alias per nos factæ in Domino requirẽtes oẽs & singulos Christianos Principes & Prælatos vt circa terminũ caleñ. Maij suprascriptũ ad antedictam ciuitatem Vincentiæ se conferant, in qua ad Dei laudem & gloriam, ecclesiæq; suę sanctæ pacem salutem & incrementum, hanc sanctam vniuersalẽ Synodum fauente Domino dicta die incoare, & successiue ad optatũ finem perducere decreuimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ prorogationis, hortationis, & requisitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis aũt hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrũ Anno incarnationis Dominicę Millesimo quingentesimo trigesimo septimo. Octauo Id. Octob. Pontificatus Nostri Anno Tertio. F. Vigil.

B. MOTTA.

Visa Th. Guerrerius.

F I N I S.